



Patriarchatus Latinus- Ierusalem  
البطريكية اللاتينية الأورشليمية  
المكتب الليتورجي  
Officium Liturgicum

EVANGELIUM (pr.)

« Ecce mater tua »

✠ Lécio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19. 25-27

In illo témpore :

Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius, María Cléopæ et María Magdaléne.

Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem, quem diligébat, dicit matri : « Múlier, ecce filius tuus ». Deínde dicit discipulo : « Ecce mater tua ». Et ex illa hora accépit eam discipulus in sua.

Verbum Dómini.

*Super oblata*

Beátæ Mariæ Vírginis patrocínium recoléntes, hæc múnera tibi, Dómine, reverénter offérimus, ut eius caritati in tui servítio confórmes, óperi redémptionis árctius coniúngi valeámus. Per Christum.

*Praefatio* (propr.)

℣. Dóminus vobiscum.  
℞. Et cum spiritu tuo.  
℣. Sursum corda.  
℞. Habémus ad Dóminum.  
℣. Gratias agámus Dómino Deo nostro.  
℞. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aéquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere :

Dómine, sancte Pater, omnipotens ætérne Deus :  
Et te in memória Vírginis Mariæ, Carméli Matris, collaudáre, benedicere et prædicáre.

Ipsa enim Verbum tuum fidéliter custódiens et adimplens, atque in oratióne cum Apóstolis persévérans, mystério salutis mirabíliter sociáta, ómnium hóminum spirituális génetrix est effécta. Nunc étiam de frátribus Fílii matérna curans caritate, signum certæ spei et soláctii nobis peregrinántibus praelúcet qui ad montem glóriæ tuæ pervenire conténdimus. Atque in ea, velut in puríssima imágine, quod nos in Ecclésia esse cúpimus et sperámus, cum gáudio contemplámur. Et ideo, cum Sanctis et Angelis univérsis, te collaudámus, sine fine dicéntes : Sanctus, Sanctus, Sanctus...

*Ant. ad communionem*

Ier 2, 7

Indúxi vos in terram Carméli, ut comederétis fructum eius et óptima illius.

*Post communionem*

Pretiósi Córporis et Sánguinis Fílii tui nos, Dómine, sacraménto reféctos, mirífica dilectiόνis tuæ grátia cummúniat, atque obséquiis beátæ Vírginis Mariæ mancipátos, virtútum eiúsdem fidéles constituat imitatóres. Per Christum.